


**3568** fragmenta duo tabulae marmoreae litteris detritis Tibure adhibita in pavimento operis musivi ecclesiae S. Mariae del Carmine (olim S. Petri), fortasse originis urbanae, ut pleraque fragmenta marmorea medio aevo in pavimentis ecclesiarum veteris Latii adhibita.



Descriptimus ego et Stevenson (inde Eph. epigr. IV p. 270 n. 763). Suaresius Vat. 9140 f. 203.

4 *salutari*, 5 *dolic(heno)* Aug. coniecit Henzen; 5 [sacer]dotio *auctus* venit in mentem Mommseno.

**3569** rep. nel territorio di S. Polo de' Cavalieri, deinde ibi in aedibus Borghesianis VIOLA. Ibi frustra quaesivi.

IVLIA · L · F · gRATILIA  
VENERI · OBSEQUENTI  
D · S · L · M

St. Viola giornale arc. vol. 119 (1850) p. 297 ad exemplum exhibitum ipsi a canonico Rinaldi.

4 CRATILIA esse in exemplo ait Viola, sed edidit GRATILLA.

Suspicio non caret.

**3570** fragmentum rep. in villa Hadriani Tiburtina a Fr. Ant. Lollo CROCCH. LVP. VVLPI; fragmentum marmoreum Tiburtinum VENVT. — Romae MVR. errore.

G  
VAE AVG  
sa CRVM  
AEL · CHARINVS  
MIL · JR · LEG · III · FL · F · 5  
V · S · L · M

Crocchiante p. 239 eodemque exemplo Revillas sched. Berol.; Ridolf. Venuti misit Muratorio anno 1735, unde neglegenter edidit Mur. 773, 4; Lupi Vat. 9143 f. 40'; Vulpi Lat. 10 p. 410. Huius corp. vol. VI n. 528 cum add. p. 835.

4 G Venut. Lup., c Vulp., om. Crocch. Rev. — 2 VAE Lup. Vulp., RVAE Venut. (NERVAE Mur.), om. Crocch. Rev. — 3 CRVM Crocch. Rev. Vulp., ORVM Lup., ACRVM Venut. — 4 EL Crocch. Rev. — 5 ER (pro FR) Venut. Lup., ev Vulp., b·m Crocch. Rev. — 4 pro int. deinde FL-L versu proprio, 6 V·F·L·M Crocch. Rev.

**3571** traditur s. l., sed una cum n. 3625.

urceus ERCHVL  
SAGRVM patera

Exhibit Faustus del Re in schedula, quam vidi Tibure apud Aloysium del Re.

Dedi ut exhibit Faustus del Re. 1 ERCHVL fortasse pro HERCVLI. — 2 scr. SACRV.

**3572** cippus lapidis Tiburtini litteris antiquis. Tibure inventus ODER. Tibure in cavaedio aedium Boschi ZOEG. SEBAST. SART. Ex aedibus Boschi Romam translatus FEA. Romae antea erat in aedibus Vaticanis, nunc est in Laterano inter reposita.

SEI · DEVS  
SEI · DEA

Descriptsit Henzen; ipse quoque vidi. Oderico diss. p. 184 n. 9 (inde Orelli 2137) ab aliis; Zoega ms. p. 575 n. 2; Sebastiani p. 98; Sarti sched.; Fea sched. f. 174; Henzen syll. n. 5952 de visu. Est huius corp. vol. I p. 234 n. 1114.

**3573** Tibure loco antiquo in epistilio aedis rotundae Corinthiae peripteri, cuius extant columnae decem ex lapide Tiburtino cum epistilio suo, praeterea pars cellae; vulgo ea dicitur templum Sibyllae, medio aevo erat conversa in ecclesiam S. Mariae (inde in S. M. Rotonda ACCVRS. de inscriptione). — *Sotto del fregio nella parte anteriore che risguarda la porta resta un frammento d'iscrizione intagliata nelle fasce dell'architrave, scorgendosi la fascia superiore essere stata abbassata al paro della inferiore, perché le lettere della medesima restassero grandiose a proporzione del tempio e visibili da lontano PIRANESI.*

L · GELLIO · L · F

Vidi. Accursius ms. f. 6; Metellus Vat. 6039 f. 340'; Ligurius Taur. vol. 20 f. 10 interpolatam; Antonius del Re ms. Barb. cap. VI; Vulpi Lat. 10 p. 469 de visu, praeterea a Lupio et Lesleo; Lupi Vat. 9143 f. 24; Crocchiante p. 250; Keyssler Reisen 1 p. 700 (ed. a. 1776); Cabral et del Re p. 15; Sebastiani p. 49; Nibby viaggio 1 p. 159, analisi 3 p. 208; St. Viola giorn. arc. vol. 124 (1854) p. 294; Gori viaggio a Subiaco 1 p. 26. Architectos qui de hac aede inde a Serlio (lib. III p. 25 ed. Venet. 1562) et Palladio (lib. 4 cap. 23) egerunt non numero, nomino tantum praecipuos ex eis qui cum epistilio aedis etiam inscriptionem delineatam proposuerunt, Piranesium raccolta de' tempi antichi tab. 7 (cf. enarrat. p. 13); Valadierum raccolta delle più insigni fabbriche di Roma fasc. II (Tempio della Sibilla in Tivoli, 1813) tab. 7; Caninam gli edifizi ant. vol. V p. 126—128 cf. vol. VI tab. 133—135.

Magis integrum nemo horum auctorum vidit. Accursius dedit sic ut supra; Metellus primam litteram omisit; idem fecerunt, praeterea CELIO PRO GELLIO dederunt ex posterioribus multi; Antonius del Re habet C·COELIO·L·FILIO, Ligurius L·GELLIVS·L.

Habemus finem inscriptionis (nam a dextra parte multum spatum vacuum est), quae quam longa fuerit nescimus; non longiore eam fuisse quinquaginta quinque litteris adfirmavit auctor peritissimus et in his rebus accuratus Piranesi; unde, cum templum illud Vestae fuisse sibi persuasisset, inscriptionem sic supplevit: [Aedem Vestae s. p. q. T. pecunia publica restituit curatore] L. Gellio L. f.; quae sunt litterae quinquaginta quinque. Ceterum cur non brevior quinquaginta quinque litteris inscriptio esse potuerit, Piranesius non explicavit.

Apud Felicianum cod. Ver. f. 152 sub indicatione 'Tibure apud templum Vestae' leguntur haec: AEDEM·ANIENSEM·D·LX·A·CELIQ·T·F (e Feliciano pendet codex Redianus f. 124, pro ANIENSEM exhibens ANIENSEM; ex cod. Red. edidit Gudius 66, 1); horum ultima pars (CELIQ·T·F) ab hac nostra inscriptione vix est diversa, praesertim cum locus quoque indicatus a Feliciano idem esse videatur; nam aedes vulgo dicta Sibyllae (ita iam Metellus) mature a doctioribus (ut a Palladio aliquis) propter formam rotundam adtributa est Vestae, aliam autem aedem quae umquam Vestae adtributa sit Tibure nullam novi. Nec tamen verisimile videtur a Feliciano vel auctore Feliciani aedem illam, quae iam principio saeculi decimi sexti ita rupta erat ut hodie est, visam esse integrum, inscriptionem plenam; potius crediderim vocabula AEDEM ANIENSEM aut ex indicatione loci Cyriacana male avulsa coniuncta esse cum ipsa inscriptione (potuit Cyriacus in commentariis hanc aedem sitam ad ripam Anienis appellare Aniensem) aut mera interpolatione esse suppleta.

**3574** Tibure in Valle Gaudenti OTT. Hoc nomen olim fuisse ei regioni civitatis Tiburtinae pro qua postea obtinuit nomen Campetello sitae intra urbem quae nunc est non longe a porta del colle refert ANTON. DEL RE ed. p. 107.

LAPIDES · PROFANEIS · INTVS · SACRV

Servavit auctor syllogae codicis Ottob. 2970 f. 22. Inde pendet Fabretti 674, 14 (ex hoc Vulpi Lat. 10 p. 673; Orelli 2479) qui citat schedas Holstenii. Est huius corporis vol. I n. 1115.

PROPHANEIS Ottob., PROFANEI Fabr.